

karissimi beatae memoriae et etiam meriti nostri auctumentum donavimus et transtulimus proprietatem dicti humularii sive hoiepegarten et agrorum praedictorum liberaliter in ecclesiam parrochiale in Pirne, dominum Wolueramum nunc eiusdem ecclesiae plebanum et in omnes successores suos cum omni iure et utilitatibus quibuslibet, quae nunc de dictis agris et humulario praedicto proveniunt aut provenire poterunt in futuro, apud dictam ecclesiam et omnes plebanos suos praesentem et futuros perpetuis temporibus permansuram. Dicitus etiam Waltherus fatebatur coram nobis, se recepisse summam pecuniae, quam sibi dedit praedictus plebanus pro dicto censu et in suos usus alios convertisse. Ut autem haec nostra donatio et translatio rata et inviolabilis ab omnibus nostris successoribus teneatur, praesentem litteram saepedicto plebano et omnibus suis successoribus et ecclesiae praedictae in Pirne in testimonium evidens dedimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum et actum Dresden anno incarnationis domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto sexto Idus Novembris. Testes huius sunt dominus Theodericus plebanus in Dolen, dominus Hermannus de Bernstein sacerdos, Cunradus notarius curiae nostrae, Cunradus Hunrich miles, Henricus de Maltitz, Hermannus de Ysenbere, Otto de Roichzan et quam plures alii clerici et laici fide digni.

Nach dem sehr schadhaft gewordenen Orig., dessen Siegel abhanden gekommen ist, im Rathsarchiv zu Pirna. Die unleserlich gewordenen Stellen nach einer Abschrift aus dem 15. Jahrh. (Cop. 1 fol. 7^b) im K. Hauptstaatsarchiv zu Dresden.

No. 8. 1296. 26. Aug.

Friedrich jüngerer Sohn des Markgrafen Heinrich Herr von Dresden urkundet, dass er Geld- und Getreidezins, welche der Stadtpfarrer Wolfram zu Pirna von drei für seine Kirche früher käuflich erworbenen Hufen sammt dazu gehörigen Höfen in Manuitz jährlich zu entrichten hatte, und welche er nun von Hermann von Kanskirche, Friedrichs Vasallen, erkauft hat, nach geschehener Auflassung Seitens Hermanns und der Mutter desselben zugleich mit den Hufen und Höfen der Stadtkirche zu Pirna geeignet hat.

Nos Fridericus dei gratia domini Henrici quondam incliti Misnensis et Orientalis marchionis iunior filius dominus in Dresden omnibus praesentem litteram inspecturis salutem et notitiam perpetuam subscriptorum. Ad habendam memoriam rerum rite ac rationabiliter gestarum propter oblivionem, quae ducit faciliter in errorem, opus est eas scripturarum testimonio fideliter roborari. Notum igitur esse volumus tam praesentis quam futuri aevi Christi fidelibus litterarum praesentium ex tenore, quod cum honorabilis vir Wolueramus plebanus ecclesiae parrochialis in Pirna triginta solidos et tres denarios, quos nomine census de tribus mansis per eum ecclesiae suae comparatis sitis iuxta villam Manuitz^{a)} et de duabus curiis ad eosdem mansos pertinentibus sitis in villa iam dicta cum tribus modiis siliginis praeter quartale et quinque modiis avenae cum dimidio episcopalis decimae mensurae Pirnensis annis singulis persolvere tenebatur, a Hermanno de Kanskirche nostro fasallo de consensu dominae Juttae matris suae, cui erat dicitus census nomine dotalicii deputatus, emisset seu iusto

^{a)} Villa Manewicz ante castrum Pirne in districtu Dresdensi. Urk. v. 8. Juli 1337. Die wuste dorfstad Manewicz genant alhie vor Pirne. die wuste dorfschaft M. nahendt vor der stadt P. Urkk. v. 18. Nov. u. 15. Dec. 1513.